

Hermann Christoph Engelken

Programma Funereum, Perenni Memorix Viri ... Domini Johan. Andreae Curtii, J. U. Doctoris Splendissimi ... Quo, Præmissa Brevi Disquisitione, De Subitaneo Piorum Obitu, Cives Academicos O. O. Honoratissimos, Spectatissimos ... Anni Currentis MDCCXL. Die 23. Martii ... Obtestatur Et Excitat

Rostochii: Typ. Joh. Jacob. Adleri, [1740]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793432902>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proboten-Programme, meist
Fotokopieen in Proboten Längeligen Familien bzw.
Größen Heilb und dem westlichen Jagdgebiet.
Originaltitel vorhanden.

Litr. A - H.

Im Juni 1859 und dem Neufuß der Graf. Hofwart Piper
zu Güstrow erworben.

(Zinn und die Familien v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3I-40



Revis.
1833.

F. A. Aepinus, + 1758.

J. F. Brüll, + 1757.

A. Ahrend, + 1730.

J. A. Curtius, + 1740.

Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.

J. Ch. Dancwarth, + 1755.

Cath. Ampel, vid. Klein, + 1725.

Magd. Brand, ux. O. P. Möleri, + 1733.

Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.

J. H. Balke, + 1778.

G. Deharding, + 1747.

J. H. Becker, + 1774.

Georg. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.

P. Becker, + 1753.

Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.

J. J. Bentzen, + 1725.

Cath. Marg. Besselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.

Ch. Doercks, mar. Nettelbladt, + 1753.

Just. Reg. Besselin et Ann. U. Hever, vid.

Marg. Doercks, mar. Lief, + 1755.

Ch. M. Steven. Ross, + 1742.

J. A. Düve, + 1728.

V. J. Besselin, + 1755.

Cath. Bloeksdorff, vid. Vic. Puffen,

Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen,

+ 1715.

+ 1743.

Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.

Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.

Ch. M. Burchard, + 1742.

Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.

Jac. Burgmann, + 1724.

J. L. Engel, + 1758.

J. H. Burgmann, + 1746.

H. A. Engelen, + 1734.

J. P. Burgmann, + 1775.

H. Ch. Engelen, + 1742.

J. Carmon, + 1743.

J. F. Eyllers, + 1749.

J. H. Carstens, + 1731.

Chr. Ed. Forster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.

J. F. Celle, + 1729.

Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt,

P. Biese, + 1746.

+ 1742.

Ann. Cath. Coeh, + 1726.

Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.

G. Crause, + 1723.

P. Gerling, + 1778.

Ch. Crule, + 1748.

H. Goltermann, + 1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Heins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Holsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Hoppen, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

PROGRAMMA FUNEREUM,
 PERENNI MEMORIÆ
 VIRI OLIM PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI
 ATQVE AMPLISSIMI,
 D O M I N I
 JOHAN. ANDREAE
 CURTII,

J. U. DOCTORIS SPLENDIDISSIMI, ET CIVITATIS ROSTOCHIENSIS
 SYNDICI DEXTERRIMI, MERITISSIMI, NUNC BEATI,
 DICATUM.


quo,
 PRÆMISSA BREVI DISQUISITIONE,
 DE

SUBITANEO PIORUM OBITU,
 CIVES ACADEMICOS O. O. HONORATISSIMOS,
 SPECTATISSIMOS,

AD FUNUS TAM HONORIFICUM, FREQUENTI COMITATU,
 ANNI CURRENTIS MDCCXL. DIE 23. MARTII, AD TUMBAM DEDUCENDUM,
 DECENTI COMITATE ATQUE CONTENTIONE,
 OBTESTATUR ET EXCITAT



HERMANNUS CHRISTOPHORUS
 UEBELEREN,

SS. THEOL. DOCT. EJUSQUE PROF. P. O. FAC. THEOL. SEN.
 ET h. t. DECAN. ad ÆD. JOH. Past.
 hodie Academiæ Rostoch. RECTOR.



R O S T O C H I I,

Typ. JOH. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. ET ACADEM. TYPOGR.



ככר



Uartum, Cives Academiae O. O. æsumatissimi! per regim-
nis hyberni spatium, quo ad clavum Republicæ lit-
terariæ, summo assistente Numine, sedere datum fuit,
lugubre suscipere teneor officium, ac funus indicare
Viri de nostro Roseto meritissimi. Quem in præsen-
ti, indice indigitem digito, non opus est prolixo expo-
nere sermone, quandoquidem neminem nostrum fu-
git, haud pridem, repenti quidem, tamen placida ac beata morte,
a DEO optimo ex hoc mundi ergastulo evocatum esse Prænobilissi-
mum, Consultissimum & Amplissimum Dn. JOHANNEM AN-
DREAM CURTIUM, Juris Utriusque Doctorem fulgidissimum, ac
Civitatis Kostochiensis Syndicum spectatissimum, cui omnes boni
longiorem, si altissimo Universi Moderatori ita fuisset visum, ex-
optassent vitam. Hac itaque occasione de *subitaneo piorum obitu*, quæ-
dam pro scopi ratione præcipere non pigror. Parce hanc mate-
riam,

riam, fatis quamlibet momentosam, pertractare, imo velut in transitu delibare perspexi maximam asceticorum, qui dicuntur, Scriptorum partem, ita ut succincto aliquot interdum verborum compendio animi sui sensa expromere satagant. Sed cum neque mihi liceat esse prolixo, quem & temporis angustia, & præscriptus pagellarum numerus jubent brevitatem sectari, ipsa necessitas imperat, per lancem velut saturam quædam præ ceteris notatu digna commemorare. Quapropter intrepide præstruere nulli dubitamus, *subitaneum obitum, in se spectatum, non posse vocari malum, ac execrabilem.* Quid enim est subitaneus obitus, nisi abitus ex hocce mundi diversorio celer, multorum, ac longinquitate productorum dolorum expers? Quid est, nisi citissimus in aliam vitam transitus, absque diuturno inquietudinum sensu? Quid est, nisi festina maris tempestuosi trajectio, absque innumero procellarum impetu? Quid est, nisi somnus cito obveniens, lassosque reficiens artus, *Job. XI. 11*, absque præviis anxii commotionibus? An vero hæc talia in detestabilibus poni jure queunt merito? Præstruendo autem eo, pergimus asserere, *obitum piorum, in statu gratiæ constitutorum, adeo non posse vocari malum atque execrabilem, ut potius beneficiorum divinorum classi sit accensendus.* Quis viatorem non prædicat felicem, qui recta via, sine periculosis anfractibus ac circumfessionibus, ex terris peregrinis, in optatam redit Patriam? Jam vero nos in hac vita agimus peregrinos, qui non habemus hic civitatem manentem, sed futuram quærimus, *Ebr. XIII. 14*. Ergo terque quaterque beati existimandi sunt pii DEI filii, qui nullo velut negotio in cœlestem perveniunt patriam. Quis navitam non judicat fortunatum, qui absque naufragii periculo, secundis velis & ventis, desideratum contingit portum? Jam vero nos navigamus quasi in præsentis mundi pelago, innumeris circumsepti miseriarum fluctibus. Ergo fausti proclamandi sunt amici DEI sinceri, qui concitato velut cursu in amœnum cœli portum ex alto invehuntur. Næ in ipsis sacris paginis, *Es. LVII. 1*, scriptum extat: *Justus perit, nec est Vir ponens super cor, & Viri sanctitatis colliguntur, ut non sit intelligens, nam propter malum (venturum) colligitur justus.* Ecce divinus vates colligi ad Patres condocet homines sanctos, ne imminente divexentur infortunio. Licet vero non necessario subitaneam ex præsentis orbe emigrationem indiget, neque tamen eam etiam excludit. Quemadmodum enim, tempestate pluvia, manipuli in agrorum latifundiis residui, affulgente quadam aëris serenitate, absque mora, currui imponuntur, ac in horrei sinum transportantur, ne inclementiæ cœli in posterum sint expositi. Ita supremum Numen ingenuos sui cultores, tanquam deamatam triticum, quam celerrime nonnunquam in horreum gaudii perennis defert, ne minantibus calamitatum imbribus pateant, ac misere madefiant. *Conf. Matth. III. 12*. Et quis nescit, DEO ita efficiente, summum Sacerdotem, *Abronem*, in vertice montis Hor, subito vitam cum morte commutasse, ita enim relatum legitur, *Num. XX. 28*: *Ibi exiit Moses Abroni vestes illius, induitque iis Eleasarem, filium illius, mortuusque est Abro in capite mon-*

tis. Fertilissimus traditionum Parens, R. Salomo in loc. cit. narrat, Mosén, Ahronem & Eleazarum, ascendentes in montem, vidisse ibi speluncam a DEO paratam, & in ea stratum lectum, & ante lectum lampada ardentem, ipsum Ahronem vero posuisse se in lecto illo, & extendisse manus & pedes, clausisseque os & oculos, tum vero DEum accepisse spiritum in pace, Mosén itaque id conspicientem desiderasse talem mortis modum, & obtinuisse. Comp. b. Pfeifferi *Dubia vexata* p. m. 322, & *Lundii Jüdische Heiligthümer*, Lib. III. Cap. XX. p. m. 557. ed. nov. Quæ rei gestæ circumstantiæ an cum amica concinant veritate, fides sit penes Auctorem. Quis nescit, in cacumine montis Nebo geminum obitus genus obtigisse fidissimo DEI Servo, Mosi, Deut. XXXII. 50, Cap. XXXIV. 1. 5. Et quoniam in ultimo extat loco, decessisse laudatissimum DEI virum על פי יהוה, juxta os Jehovæ, Rabbinum, eundem, per osculationem DEI animam suam pretiosam exhalasse caussantur. Nempe ita scribunt in *Berachot fol. 8. col. 1.*

השע סמות מיני מיתה נבראו כעולם וכל קשה שבכולן אסכרה
 נשיקה i. e. Nongentæ & tres species mortis creatæ sunt in
 hoc mundo &c. Gravissima inter illas est Ascara, placidissima, Neschika.
 Jam suavissimo hoc mortis modo, qui fit quasi extractio pili ex lacte,
 exspirasse Mosén tradunt in *Debbarim Rabba* כמותה שעה נשקו
 בה הקכה ונטל נשמתו כנשיקה בה i. e. Ea ipsa hora osculatus est eum (Mosén)
 DEus, & accepit animam ejus, per deosculatorem oris. Cont. *Buxtorffii Lexic. Talmud. col. m. 1405.* Etiam si autem talia pronunciata in
 Rabbinorum commentis numerari mereantur, inconcussum tamen manet,
 & immotum, Mosén æque ac Ahronem, germanum illius fratrem,
 subitanea ratione vivorum societati exemptos esse. Neque exempla non
 prostant sat multa aliorum recentioris ævi Virorum pientissimorum,
 qui repentino huncce destituerunt mundum. Sic, ut ex innumera copia
 unum tantum alterumque afferam in medium, Hieronymum Wellerum a
 Molsdorff, cui ne ipse quidem livor Theologi exercitati & probi
 elogium detrahet, Freibergæ in Patria, subito ultimum efflasse accepimus
 halitum. Ita namque memoriæ proditum est in *Vita ejus* p. 17, præmissa
 Opp. Tom. I.: Eodem anno 1572, die 20 Martii, postquam præcedente
 vespera plura de morte beata, æterna vita, & futura felicitate electorum
 suaviter disseruisset, lectumque & somnum lætus petisset, perpetuo
 sepultus Somno fuit, non nisi omnipotenti Christi voce sub
 novissimum diem exsuscitandus. Johannes Matthesius, in valle Joachimica
 verbi Minister, Zelo & veritatis & pietatis nemini secundus, multos
 post se relinquens, cum ex Suggestu, Dom. XVI. post Trinitatis, multa
 de dulcedine vitæ æternæ protulisset, docuissetque, beatos se invicem
 olim agnituros, tribus post Concionem horis, repentine ac placide in
 Domino obdormivit, referentibus Melch. Adamo in *vitis Theologorum*
 p. m. 193. & Aug. Thuano *Historiarum Lib. XXXIIX.* p. m. 769. Gemina
 fata expertus est M. Nic. Hausmannus, Pastor Freiburgensis meritissimus,
 quippe qui Dominica XI. post Trinitatis, sermonem sacrum ad populum
 habiturus, morbo corripiebatur lethali, ita ut in deli-

deliquium animi incidens, eodem adhuc die, vivorum destitueret contubernium, Anno, supra millesimum & quingentesimum, trigesimo octavo. Quod triste nuncium percipiens *b. Lutherus*, tam subitæ illacrymassæ legitur morti, ac subinde ingeminasse: *Ita DEus abripit justos, paleas deinde absumpturus.* (So nimmt Gott die Frommen weg, wird hernach die Spreu verbrennen). Tanti enim æstimabat *Hausmannum*, ut dicere soleret: *Quod nos docemus, ille vivit.* Vid. *Ernstii Consect. Tafel, Part. I. p. 186. sq.* Uberem largamque messem Virorum in numero existentium, ac candidæ pietatis laude coruscorum, dare possemus, si instituti ratio id postularet, neque ex commemoratis hætenus exemplis satis dilucide pateret, optimos Patris cœlestis filios, cultus in DEum sincerissimi igne flagrantés, celeri obitus genere, ex miseriarum valle in jucundissimam Cœlorum Patriam vice plus simplici evocatos esse, sui que sic desiderium cordatis rerum arbitris reliquisse. Tantum autem abest, ut abitum eorum acceleratum pœnarum divinarum classi adnumerare queamus, ut potius beneficiorum summorum ordini accensere eum cogamur. Qui enim male mori possunt, ac infelici fati necessitate ex vinculis exilire corporeis, qui semper moriuntur, antequam moriuntur, adeoque ad beatam *ἀνάδυσιν* per Spiritus S. regimen, & virtutem, se semper præparant, quotidiana pœnitentia & cum Numine cœlesti reconciliatione, transgressionum suarum sordes eluere sueti. Et certe beatissimum *Cyprianum* (in Libro de mortalitate) disputasse constat, ut celerioris mortis beneficium commendaret, a peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt, in qua peccari potest, apposite scribente *Hipponensium Præsule, Augustino, Lib. I. de Prædestinatione Sanctorum, Cap. XIV, Opp. Tom. VII. f. 270. a.* Equidem sanctæ pandectæ impiorum cohorti, vitiorum fœditatem in deliciis habenti, subitaneum comminari solent exitum, insimulque sic eorum infelicitatem velut deplorare. Nam in non unum illorum quadrat memorabile *Lucretii* effatum *Lib. 3. v. 973:*

Et nec opinanti mors ad caput adstitit, ante

Quam satur aut plenus possis discedere rerum.

Næ divinus vates, *David, Ps. LXXIII. 18. 19:* *Unique, ait, in lubricis ponis eos, dejicis eos in vastitates, Quomodo facti sunt in vastitatem subito? Consumti sunt: Consummati sunt a terroribus, & Ps. LV. 23. Viri sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos.* Et quem latet? subitanea, violenta & funesta plane ratione abreptos esse, & periisse peritos malarum actionum artifices, *Gerum, Gen. XXXIX. 7, Onanum, v. 10. Pharaonem maxime elatum, Exod. XIV. 23, Nabalem i Sam. XXV. 37. 38,* (qui forsan per decem dierum spatium, instar apoplectici decubuit, decimo autem justî judicis manu enectus est. *Comp. Starckii Hebraismos Etymologicos p. 132), Pueros, Elisæo malitiose illudentes, 2 Reg. II. 23. 24, hominem illum divitem Luc. XII. 20, Herodem, divinos sibi honores arrogantem, Act. XII. 23, alios, quemadmodum etiam multos extemplo vindicem DEI oculum expertos, profanarum historiæ monumenta commonstrant, cui fini comparari possunt Lactantius de Mortibus Persecutorum, Opp. p. m. 678. sqq, & Janus in Diss. de Apostatarum mortibus, inserta Miscellaneis Li-*

psiensibus Tom. VI. pag. 41. sqq. At vero *δὲ δια παρὰν* discrepare subita-
neum piorum ac impiorum obitum, nemo non ingenue confiteri de-
bet, qui æqua mentis libra cuncta trutinaverit. Piorum enim concio
suavissimo Numinis summi favore perfruitur, hinc repentinus eorum
obitus hac fini conceditur, ut procellas infortuniõrum vehementes
effugiat, ac in locum refrigerationis quam citissime avolet. Econtra
impiorum caterva inopinatum sortitur exitum, ut promeritas det
pœnas, ac ad supplicia rapiatur gravissima. Non itaque externum
juxta aspectum, judicium hic ferre oportet, quia sic omnino utro-
rumque & piorum & impiorum eadem videtur esse sors, eadem con-
ditio, sed juxta infallibilis verbi divini normam, ac veram ipsius rei
indolem. Diversa plane fata manserunt *Josephum*, innocentiaẽ jubare
conspicuum, & *Principem pistorum*, criminis macula notatum, etiamsi
uterque ex carceris squaloribus extraheretur, nam *Illum* ad honores
a Rege proximos evectum esse novimus, *Gen. XLI. 40*; hunc vero de
ligno suspensum, *Gen. XL. 19. 22.* Ita pariter ex tetro hoc mundi er-
gastulo, subitaneo nonnunquam modo, educuntur & *pii* & *impii*; pla-
ne dispari tamen fortuna, quandoquidem *illi* in superna suscipiuntur
habitacula, in perenne eorum commodum; *hi* autem in tenebricosissi-
mas inferni fauces abjiciuntur, in irreparabile eorum damnum, lu-
ctumque sempiternum. Apposite hinc *b. Ludov. Dunte in Casibus Con-*
scientiaẽ Loc. de Morte, Qu. 6. p. m. 949, Reprobi quidem, inquit, dicuntur
abire in Desolationem quasi momento, Ps. LXXIII, & dies Domini tanquam
fur illos deprehendit. At NB. *piorum mors repentina benedicta est, qui mor-*
tem semper premeditatam habuerunt, nec male potest mori, qui bene vixit.
Ambros. Jobi liberi pie instituti domus ruina extincti sunt. Eli Sacerdos
Domini, cervicem fregit, & uxor Pinehæ, pia mulier, infantes in Bethlehem
ex improvise extincti. Ex his rite ponderatis Sole opinor clarius elu-
cere, subitaneum piorum obitum in maximis DEI beneficiis collocandum jure
esse. Id tamen adhuc non sine omni consideratione dimittendum vi-
detur, an expetere a DEO debeamus lentum mortis genus, quod, interposita
aliqua mora, nobis obringit, adeoque humillimis deprecari supplicationibus
predictum obitus subitanei modum? Ad hanc quaestionem ut debita re-
spondeatur circumspectione, monendum duco, haudquaquam DEO
hic praescribendum aliquid, sed sapientissimæ ipsius, utpote Patris no-
stri benevolentissimi, voluntati id omne humillime committendum
esse, ita tamen, ut infimul ardentissimis eundem defatigemus suspi-
riis, ne nos abripiat imparatos, neque a facie sua abjiciat, *Ps. LI. 13,*
sed, si ipsi collibitum fuerit, subito mortis genere finem vitæ nostræ
imponere, tum id clementissime faciat, cum in accepto gratiæ statu
degerimus, alias vero lentum potius mortis genus pro immensa sua
benevolentia concedat. Ex his pronõ fluit alveo, obitus subitanei ge-
nus simpliciter deprecari non oportere, quoniam benignissimum supremi
Numinis arbitrium mente decet ingenua exosculari, adeoque ipsi de-
missime, ut pro lubitu cuncta disponere haud dedignetur, supplicare,
& sic, si subitum nobis obitum perspexerit salutarem, nutui nos divi-
no, prompto subicere pectore, dicendo cum jucundissimo Salvatore:

Not

Non sicut ego volo, sed sicut tu, Matth. XXVI. 39. Bene b. Joh. Adam Osiander in Theologia Casuali Part. VI. Cap. VI. p. m. 272. deprecationem mortis subitanæ, ad quam compendio imus, improbat, mox subjungens: Deprecanda potius mors inexpectata, absque morientis præparatione, quæ a subitanea aut accelerata distinguitur. Neque in publica illa præcatione, quæ litanix nomine insigniri assolet, ut mortem subitanæam, sed mortem MALAM subitanæam paterne avertat, arceatque, a DEO contendimus, quapropter ita erumpit vox b. Arnoldi Mengerlingii in Informatório Conscientiæ Evangelico, Dom. XXIV. post Trin. p. m. 1079: **Wir bitten nicht bloß in der Litaneen: Vor einem schnellen Todt, behüt uns lieber HERRE GOTT, sondern: vor einem bösen schnellen Todt.** Bitten also nicht vor einen jeden schnellen Todt, sondern nur für einen bösen schnellen Todt, der einem eben in actu peccati, oder impœnitentiæ, mitten in seinen Sünden und Unbußfertigkeit, übereilet, ohne Hinderdenkens frist, und aufreißet, behütet zu werden. Denn der ist wohl ein recht böser Todt, für welchen wohl zu bitten. Im übrigen sollen wir mit unsern Gedancken unserm HERREN und GOTT nicht fürschieben, wie er uns aus dieser Welt abfordern solle. Quoties interim tragicus decessionis repentinæ casus oboritur, quilibet se putet excitari, ut horam mortis incertam pia expendens animi lance, quotidiana pœnitentiæ exercitium, fugam malorum facinorum, atque studium bonarum actionum ad se protinus accommodet. Anima nostra, sicut aquila, altâ petat, supra nubes volet, renovatis splendescat exuviis, cælo volatus suos inferat, ubi laqueos incidere non possit. Avis enim, quæ descendit ex alto, vel quæ in altum se extollere non potest, frequenter aut laqueis capitur, aut visco fallitur, aut quibuscumque irretitur insidiis. Sic quoque anima nostra caveat, ad hæc mundana descendere, scribente Ambrosio de Bono mortis, Cap. V. Opp. Tom. I. p. m. 262. Memores semper vivamus notabilissimi illius effati Eccl. IX. 12: Non novit homo tempus suum, sicut pisces capiuntur reti malo, et sicut aves capiuntur laqueo, sic ipsi illaqueantur filii hominum tempore malo, quum ceciderit super eos subito. Quare prælaudatus Osiander l. c. p. 257. Ut imminente morte, inquit, maxime necessaria est præparatio (ad mortem), ita quotidiana esse debet. Quemadmodum enim ad bellum nos præparamus tempore pacis; Ita fit recta præparatio ad prælium cum hoc ultimo hoste, dum adhuc nobis præcul ab hora mortis esse videmur, & iterum, p. 258: Frustra est differre pœnitentiã in horam mortis, cum nescias, an mors tibi tempus pœnitentiæ relicta sit. Solet enim DEUS plerumque contemptiores gratiæ suæ ita punire, ut qui, dum valuere, respicere noluerunt, postea, dum egrotant, non possunt. Tunc enim occupantur curis terrenis, anguntur doloribus morbi, impediuntur compellationibus amicorum, ut pœnitentiæ omnis oblidiscantur. Aut si pœnitentiã agunt, coacta ea est, quam metus mortis et pœnarum magis extorquet, quam odium peccati operatur. Summa: Licet pœnitentiã vera nunquam sera sit, pœnitentiã tamen sera, raro vera est. Ideo mature de ea est cogitandum, cum adhuc peccare possumus, ne peccatum nos magis, quam nos peccatum dereliquisse videamur. Hæc omnia beatum DOCTOREM CURTIUM, nunquam non curæ habuisse cordique, adeoque repentinum, quod

ipsi contigit; obitus genus, in gratiæ divinæ documentis collocandum esse, perpetua ipsius cum DEO velut ambulatio, ambigere nos non finit. Quapropter, absque ulteriori anfractu, ad palmarium hujus scriptionis negotium me accingere non pigrabor, curriculum vitæ *Viri laudatissimi* laudatissimum, tanto, quanto fieri poterit, compendio, persecuturus. Intravit nempe *b. noster Syndicus* mundi hujus theatrum, An. *Χριστογίας* supra millesimum & sexcentessimum, *sepruagesimo octavo*, die decimo Februarii, & quidem in celebratissima imperiali urbe, *Ratisbona*, ubi tunc Beati Parens, in comitiis imperii, fulgidissimum agebat Delegatum, magnæque fidei Virum.

Genitorem veneratus est Generosum ac Excellentissimum Dn. ANDREAM CURTIUM, JCtum olim incomparabilem, ac Serenissimo Principi ac Domino, Dn. GUSTAVO ADOLPHO, glor. record. per triginta quinque annorum decursum, a *Ministerio status, Cancellariæ officii, Consiliis intimis, ac Directione rerum feudalium & justitiæ, Hypothecarium in Rey*, quem pietas in Deum haud infucata, fidelitas in Ducem, nunquam sine singulari mentis cultu nominandum, insignis, dexteritas denique inusitata, a situ ac oblivione vindicant, vindicabuntque, donec cordati genuinæ virtutis æstimatores supererunt.

GENITRICEM exosculatus est Generosam, omnibusque sexus fœminei decoribus instructissimam Dn. ANNAM MARIAM SCHLÜTERIAM, a Nostri Parente, post mœstum prioris Conjugis, nata MEYBOMIÆ, discessum, secundis nuptiis in matrimonium ductam, quod connubium tanta exsplenduit felicitate, ut viduum nunquam pœnituerit, ad secunda transiisse vota.

AVUM in linea paterna habuit Nobilissimum Dn. ANDREAM CURTIUM, Mercatorem, apud Lubecenses, primarium.

PROAVUM in eadem serie collaudavit spectatissimum Dn. ANDREAM CURTIUM, Negotiatorem in emporio Hamburgensi facile principe, nemini secundum.

ABAVUS in paterna linea, ipsi contigerat Generosus Dn. DIETERICUS CURTIUS, S. Cæsareæ Majestatis supremus in districtu Norinbergenfi Præfectus, (*Ober-Hauptmann.*) Et hic DIETERICUS CURTIUS, filium suum, ANDREAM, modo commemoratum, Nostri Proavum, ob tentatam tunc religionis salutaris immutationem, *Hamburgum*, ut minantia effugeret tela, concedere jussit, qua ratione factum est, ut iste verum DEI cultum, animæque emolumentum, nobilitati generis, divitiisque mundi fulgentibus, longe præponens, mercaturæ, ac invehendarum, & exportandarum mercium procurationi se totum dederit, quemadmodum tam calamitosæ tempestatis articulo, complures familiæ, illustri ac generosa stirpe profectæ, tantum ne fidei facerent naufragium, in principales mercatus, liberæque republicas se receperunt, ac negotiationi operari non reformidarunt. Elegerat autem, quod silentio prætermittere nolo, prælaudatus *Diedericus Curtius* svavissimam vitæ sociam, Generosam SYBYLLAM DE SCHWARZENBERG, natam Generosi DN. HANS DE SCHWARTZENBERG, Sacræ Cæsareæ Maj. pariter in ditione Norinbergenfi Præfectus gravissimus. Quem-

Quemadmodum vero, ut hætenus satis dilucide patuit, prospera paterna Majoribus effulget emicatque illustribus egregiisque, a quibus cum sanguine indolem præclaram hæreditario velut jure accepit *b. Defundus*, nam canente *Horatio Lib. IV. Oda IV:*

Fortes creantur fortibus & bonis.

Est in juvenis, est in equis Patrum

Virtus: Nec imbellem feroces

Progenerant aquile columbam;

Ita MATERNA quoque LINEA splendore coruscat eximio. Nam AVONoster gavisus est Generoso Dn. JOHANNE SCHLÜTERO, Jcto excellentissimo, atque itidem *Sereniss. Ducis Mecklenburgo-Gustroviensis, Cancellario, & Consiliario intimo*, Viro insignis famæ ac meritum maximorum, cujus gratam memoriam nulla pariter oblitterabit ætas. Quo minus autem numerosiorem hic progenitorum recensum instituere queamus, non eorum defectus facit, sed brevitatem temporis, quæ prohibet, dispersas, cumque aliis permixtas chartas, notitiam hac de re certam impertituras, improbo investigare labore, aut ex aliorum longe abhinc diffitorum Cognatorum scriniis petere informationem.

Hinc ad proximos *b. Defuncti Parentes*, primum nominatos, regredi collibitum est, quippe quibus promerita debetur laus, quod non solum infantem, a DEO datum, extemplo per sanctissimum Baptismi lavacrum, in amœnum Ecclesiæ Christianæ gremium recipi procurarint, probe memores, non posse quem ordinaria via in regnum DEI ingredi, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu, *Job. III. 5*; sed etiam, crescentibus postmodum annis, & genuinam DEI agnitionem, & sinceram venerationem Nato suo instillare, iisque eum imbuere fægerint ornamentis, quæ usui per totum futura essent vitæ spatium. Quoniam vero *b. Defundus* elegantioribus litterarum studiis operari induxerat in animum, ad Gymnasium Gustroviense missus, ibi sub ductu fidelissimorum Præceptorum, utilissima ex voto jecit fundamenta, quibus postmodum altiores superstrui & quasi inædificari possent doctrinarum apparatus, quare Academicis negotiis maturus factus, inclutum, quod *Helmeftadii* floret, Musarum domicilium adiit, ibique Anno, supra *millesimum & sexcentimum, nonagesimo septimo*, a Magnifico tunc illius Academiæ Rectore, Celebratissimo Dn. HEINRICO MEIBOMIO, in communitatem Studioforum cooptatus, Alboque decenter insertus est. Hic cum per integrum triennii decursum subsisteret, hospitio & convictu usus famigeratissimi Dn. JOHANNIS WERLHOFII, non personatum sed ingenuum egit jurium Cultorem, quoniam mella scientiarum juridicarum in succum vertere & sanguinem elaboravit & desudavit, præterea quoque Cathedram Academicam animare non intermisit, sed sub prælaudati *Werlhofii* umbone, *Grotii* doctissimum de *Jure Belli & pacis* librum disputando excutere nullos non movit rudentes. Auscultemus ea de re ipsum *Werlhofium* in *Programmate, disputationibus publicis Grotianis, Respondente perpetuo, Juvene ornatissimo, Joh. Andr. Curtio, Gustrovia Mecklenburgico,*

habendis, præmisso, (uti rubrum habet) sub finem: Perquam commodum accidit, quod primus apud nos laudabili & præclaro exemplo, proba magni Parentis scholes, propriisque animi dotibus, doctrina, virtute, ornatissimus Juvenis, JOHANNES ANDREAS CURTIUS, GUSTROVIO-MECKLENBURGICUS, post triennium jam integrum in Academia nostra Julia probe, & ut unice honestati & rectis studiis litantes, temporisque ac propositi memores, decet, per indefessam industriam, exactum, dulci huic musarum domicilio valedicturus, tam insigni specimine ingenii sui vires & profectus publice ostendere constituerit. Præiverat nobilem ad eximia quæque viam illustris Parens, ANDREAS CURTIUS, Seren. quondam, memoriæ gloriose, Principis, GUSTAVI ADOLPHI, Ducis Mecklenburgico-Gustroviensis, Cancellarius, & Consiliarius intimus, prænitentibus in Rempublicam meritis, & probata Principi suo, in rebus multis magnisque, in Senatu, in legationibus, domi forisque, dexteritate ac fide conspicuus, neque minus elegantissima, & multiplici eruditione insignis, cujus etiam aliunde mihi abunde compertæ luculentum testimonium habeo literas haud paucas ad Patrem meum, JOHANNEM WERLHOFIUM, affinem ejus & amicum integerrimum, de rebus variis & questionibus, ad amœniorem maxime literaturam pertinentibus, quondam doctæ, & stylo nitido exaratas. Secutum vestigia paterna gnatum haud degenerem a Sene optimo, Julix, in qua ipse fortunæ fundamenta juvenis jecerat, haud oblito, nostrique imprimis amantissimo, informationi & convivio nostro commendatum, talem se gessisse, quales gerere se a Parentibus & Cognatis commendatos nobis cupimus, & in elegantibus, in civilibus studiis, in Jurisprudentia publica & privata, in vario doctrinæ genere insigniter profecisse, apprime gaudeo. Stabat ei initio ex Romano Jure & Germaniæ moribus singularem aliquam disputandi materiam desumere, suggerentibus de Jurisdictione Criminali, haud ignobilem prælectionibus nostris in Caroli V. Constitutionem Criminalem publicis. Sed prævaluit in Grotiano Opere, eoque integro, ad Culpisiani Collegii ductum, publico examini subjiciendo, nobilis valde & fructuosi instituti ratio. Quodque magnam profecto tam multa & ardua defensori fiduciam arguit, tribus vicibus rem absolvere, abutum ex privatis rationibus acceleranti in animo est, prima disputationum, die statim proximo Saturni (XII. Junii erit) instituenda. Quæ Werlhofii, Antecessoris in Academia Julia celeberrimi, verba, quamlibet prolixiora, allegare non fuit dividix, quia vivam quasi Nostri imaginem, eamque plane egregiam, sistunt exhibenque spectandam. Exacto autem sic triennii spatio, b. Defunctus itinera in terras peregrinas, exemplum b. Parentis imitatus, suscipere cœpit, visitans latas Bataviæ atque Galliæ regiones, atque inprimis in incluso Aurelianensi musarum emporio, per aliquod temporis intervallum, commoratus, ita ut ibi etiam An. MDCCIV, die decimo quarto Octobris, habita prius Disputatione inaugurali, aliquot thesibus juridicis constante, & absque Præsidis adjumento defensa, iterum b. Parentis vestigiis presse insistens, Jurium Doctoris dignitate atque privilegiis condecoratus fuerit atque insignitus. Sic in amantissimam Patriam, divinis auspiciis, redux, mercibus scientiarum insignium præditus, ac justo eruditionis præmio exornatus, antiquam nostram urbem, inque illa vigentem musarum sedem notissimam, pete-

petere in deliciis habuit, quo factum est, ut Anno MDCCVII. honestis amoris igniculis exardens, exoptato connubii vinculo cum Virgine tunc lectissima atque elegantissima, Prænobilissima atque omni præstantissimarum virtutum decore insigne effulgente, Dna. ANNA CATHARINA de BERGK, nata Viri olim Consultissimi atque amplissimi, EBERHARDI de BERGK, *J. U. Doctoris splendidissimi*, tum jam in cœlestia subvecti domicilia, mediante benedictione sacerdotali, copulatus fuerit, quod conjugium divino initum nutu, tam extitit faustum & fortunatum, ut una anima duo inhabitare visa fuerit corpora, quapropter quoque jam *mœstissima Vidua* eo intensiori luctu incedit pullata, quo concordius inter pretiosissimum hocce conjugum par intercesserat vitæ consortium. Ex prædicto interim thoro tres prodire surculi acceptissimi, *Primum* quidem Anno MDCCVIII. die 30 Julii, FILIA JUCUNDISSIMA, ANNA CATHARINA, quæ MDCCXXXII, *Februarii 29*, nuptui collocata est Viro spectatissimo & integerrimo, Dn. MARTINO WENDTIO, Negotiatori Rostochiensis fulgidissimo, ex quo felici matrimonio procreatum b. Defunctus vidit:

Nepotem mellitissimum Anno MDCCXXXII. die 26 Decembris, ANDREAM EPHRAIMUM, adhuc, Dei gratia, superstitem, & Avi sui optimi obitum acerbis desilentem lacrymis. Sicut vero solent humana gaudia tristibus intercipi vicissitudinibus; Ita insignem ex nativitate Nepotis hausitam lætitiā mox intima excepit mœstifitudo, denata, quæ partum feliciter ediderat, matre laudatissima, Nostri Filia carissima, Anni sequentis MDCCXXXII Jan. 27.

Postmodum An. MDCCX, quinto Martii, FILIUS DILECTISSIMUS, ANDREAS, (quod nomen familiæ Curtianæ quasi proprium ac peculiare est) jam U. J. Candidatus dignissimus, ac judicii superioris Procurator dexterrimus, noviter electus Cameræ Rostochiensis Secretarius, tam celeri Genitoris sui amantissimi morti toto pectore indolens, & illacrymans, Tertium FILIOLA SUAVISSIMA MDCCXIII, 9 Febr. CHRISTINA MARGARETHA, quæ tamen mox die XXX ejusdem mensis, cum lucem vix aspexisset, illius usura iterum est privata.

Collibitum autem fuerat b. Defuncto, statum quamlibet conjugalem elegisset, privatam vitæ genus, inde ab Anno MDCCVII, usque trigesimum primum, absque publici Officii functionibus, sectari. Haudquam tamen vano dies horasque contere siveverat otio, aut inanibus fallere actionibus, prout quibusdam usu venit, ad quos quadrat illud Juvenalis Satyra 14:

Falluntur multis tempora longa jocos.

Sed in studia litterarum concatenata semper incubuit sedulitate, majus indies jurisperitiæ anhelans incrementum, quippe quod numerosa Collectaneorum ac Annotationum utilissimarum, in Mscto relictarum, moles affatim testatur ac loquitur. Imo ipse, vice plus simplici, confessus est, consideratam hujus temporis collocationem eo meliori, spartæ postea impositæ, administrationi ex voto inservisse. Quare omni jure b. Defunctus ad se adplicare poterat illud Ambrosii, Epistola

ad Sabinum Opp. Tom. III. p. m. 177. Nunquam minus solus sum (fui), quam cum solus esse videor (visus sum), nec minus otiosus, quam cum otiosus, quandoquidem, cum negotiorum publicorum difficultate destitueretur, prædicandam tamen in Musæi abdito exercuit occupationem, cum mutis conversatus Magistris, sicque gloriæ divinæ perpetim invigilans, & propriis in futurum commodis velificans. Potuisset quidem Noster *Canonici Havelbergensis* perfrui officio, dignitate & redditibus, anno quippe, supra millesimum & sexcentessimum, octogesimo primo in numerum istius societatis jam per solenne Diploma receptus. At noluit deamatum sibi Rosetum relinquere, adeoque ea ex causa nunquam ad actuale beneficiorum istorum perceptionem pervenit, quoniam expressa statutum est lege, debere Havelbergam transferre sedem, qui canonicatus, qui dicitur, cujusdam emolumentis voluerit re ipsa lætari. Dum itaque Rostochii permanere amavit *b. Defunctus*, dotes ipsius singulares eo permoverunt, Amplissimum ac prudentissimum Civitatis hujus Senatum, ut, conspirantibus votis, eum Anno MDCCXXXI. in *confessum* cooptaret *senatorium*, qua quoque demandata provincia tam solerter ac prudenter functus est, ut omne tolleret punctum, cunctosque magis magisque in sui alliceret amorem ac æstimum. Quapropter vacante *Syndicatus*, quod vocatur, *munere*, Anno MDCCXXXIII. huic provinciæ gravissimæ admotus est, atque omnimoda illam ornavit fidelitate, assiduitate, promptitudine, ut nihil in se desiderari sit passus. Complacuit autem supremo orbis Moderatori NOSTRUM a concredita avocare statione, subitaneo quidem tamen beato, obitus genere, currentis *Anni MDCCXL*, die *Sabbathi*, qui erat *duodecimus Martii*. Cum enim nullum mortis instantis sentiens indicium, sanus ædibus suis exiisset, domum repetiturus, repentino mala correptus corporis affectione, volente ita DEO sapientissimo, animam suam, sanguine Christi redemptam, expiravit. Imperatorem Augustum subitaneum exoptasse obitum, & impetrasse, memoriæ prodidit *Svetonius in Vita Augusti, Cap. XCIX, p. m. 120. scribens: Quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi & suis eὐδανασίαν similem (hoc enim verbo ubi solebat) precabatur, paulo ante quoque dicens: Sortitus exitum facilem, & qualem semper optaverat.* Linquimus Augusto, Ethnico, suum desiderium, desideriique eventum. Christianorum est verorum, non quidem celerrimum mortis genus a Deo expetere, tamen voluntati divinæ & hic voluntatem propriam humillime submittere, atque hinc ad beatam se semper componere ἀνάλυσιν, qua ratione male non morietur, qui quotidie moritur. O beatum itaque *Dn. Doctorem nostrum!* de cujus quotidiana cum DEO reconciliatione & ad felicem discessum præparatione nec dubitamus, nec dubitare opus habemus. Exiliit subito ex vinculis corporeis, & ita subito in cœlestes commigravit ac sempiternas habitationes. Ut vero ex ungue leonem, i. e. ex certis speciminibus, candidam *b. Defuncti* pietatem metiamur, non possum non eorum aliquot afferre in medium. Cum juvenis adhuc Acad. Juliam elegisset, futuram studiorum matrem, illuc mox profecturus, summo ita disponente Numine, benefico orbabatur Parente, in quo omnem

mnem, post DEum, prosperitatis temporalis collocabat spem. Orbis vero terreno redditus Patre, animum ferme deciduum ac penitus prostratum mox resumebat, Patris recordatus cœlestis, adeo ut sequentem ingeminarer vocem: *Weil du mein GOTT und Vater bist, dein Kind wirstu verlassen nicht, &c.* Neque contentus erat hac vice, tam mellea cantici portione lassum demulsisse pectus, sed eam etiam januæ cubi- culi, perpetuæ memoriæ causa, inscribebat, inde in mediis calamita- tum incurfibus capturus solatium. Et quia non leve sic delinimen- tum vice plus simplici persentisceret, eandem mellitam parti- culam & alias, & haud pridem, *Filii dilectissimi* usui commen- dare non intermisit, ut, sicut in aliis obvenientibus casibus, ita quoque tempore sui ex hac vita discessionis, exinde pa- ratissimum hauriret tristitiæ levamen. En novum specimen! Haud multo ante exitum, proprio motu porrigebat prælaudato *DN. Filio*, paterni vitæ curriculi recensitionem, finita concione tenebri, ex suggestu prælectam, quæ vulgato loquendi modo *Personalium* nomine insigniri sivevit, additis verbis plane notabilibus: *Da hast du, mein Sohn, die Personalia meines Seeligen Vaters, du mögest Sie vielleicht bald gebrauchen.* Ex quibus nemini non colligere in proclivi est, per- petuam mortis meditationem ab. defuncto semper pensi esse habitam. Sic quoque Bibliorum suorum manualium frontispicium varia pie- tatis sinceræ exhibet monumenta, quandoquidem ibi, inter alia notatu maxime digna, & hi consignati leguntur versiculi, germanica concepti lingua :

Laß mich in Gedanken küssen,
Wenn ich soll die Augen schließen,
Jesu deine Wunden roth.
So werd ich verhimmelt werden,
Selbst auf Erden.

Et in quanto ipsi pretio, post Codicis Biblici cimelium, alii The- ologorum nostrorum, *Arndii, Lassenii, Scriveri*, & complurium, sacra fuerint Scripta, ex eo Sole elucescit clarius, quia nonnulla inde, ne ex animo iterum elaberentur, excerpta, eidem Bibliorum fronti ad- scripsit: e. gr. ex *Scriveri Thesouro Anima*, (*Seelen-Schatz*): *Die Vollen- kommenheit unsers Christenthums ist so unvollkommen, daß man es vor eine Vollenkommenheit zu achten hat, wenn man seine Unvollkommen- heit erkennet, und vollkommen zu werden trachtet. It. In Christo seyn, und keine Frucht bringen, ist so unmöglich, als daß in Christo solte kein Geist, kein Leben, keine Krafft seyn, ut similis generis alia silentio prætermittam. Quiescat ergo b. Defunctus in pace! Equidem abitus hicce tam æstumatissimi *Mariti, Parentis, Soceri, Nepotis*, vulnus in- fluxit profundissimum mœstissimis pectoribus *Viduæ* pientissimæ, *Filii* nobilissimi, *Generi* spectatissimi, *Nepotis* afflictissimi. At videtur b. Vir Eos omnes ac singulos remittere ad illam ipsam supra com- memoratam Cantici Ecclesiastici portionem: *Weil du mein GOTT und Vater bist &c.* Quare compescite luctum, mœrentes! DEus vobis est eritque *mariti & Patris* loco. Ita namque scriptum extat *Es. LIV. 5. Mariti tui sunt factores tui, i. e. Facientes te (tres sc. divinitatis personæ) sunt mariti**

tui, (qui maritali velut affectu te prosequuntur). B. Lutherus: Der dich gemachet hat, ist dein Mann, & Pf. LXIX, 6. diferte legimus: DEus est Pater pupillorum & iudex viduarum, DEus in habitaculo sanctitatis sua. Quilibet autem propriam animæ salutem utroque respiciat oculo, Dominumque vitæ & mortis intentissimo mentis ardore, ut obitu repentino MALO nos liberet, obtestetur, imploretque. Für einem bösen schnellen Todt, behüt uns lieber HERRE GOTT! Claudere hæcce placet parte quadam Hymni Petri Damiani, de gloria Paradisi:

Novas semper harmonias
Vox meloda concrepat,
Et in jubulum prolata,
Mulcent aures organa.
Digna, per quem sunt victores,
Regi dant præconia.

Christe palma bellatorum,
Hoc in municipium
Introduc me, da soluto
Militare cingulum,
Fac consortem donativo
Beatorum Civium.

Felix, cæli quæ præsentem
Regem cernit anima,
Et sub sede spectat alta
Orbis volvi machinam,
Solem lunam, & globosa
Cum planetis sidera.


Probes vires inexhausto
Laborantis prælio,
Nec quietem post procinctum
Deneges merito,
Teque merear potiri
Sine fine præmio. Amen!


Nunc ad Vos, Cives Academiæ O. O. honoratissimi, carissimi! mea se convertit oratio. Relinquitte, quaeso, instantissimæ meæ petitioni atque invitationi locum, & frequenti confluxu funus Viri de Roseto nostro præclarissime promeriti, ad tumulum comitari non detrectate. Delinietis hoc ultimo honoris atque amoris documento acerbissimos luctuosissimæ familiæ dolores, insimulque dabitis demonstratum, mortalitatis Vos vestræ esse memores.

Conventus instituetur in Templo Mariano, hora post meridiem audita Ima.

P. P. sub Sigillo Rectorali,
An. MDCCXL. die 23 Mart.







LBMV Schwerin 33
000 195 545





emadmodum vero, ut haecenus satis dilucide patuit, pro-
 erna Majoribus effulget emicatque illustribus egregiisque, a
 um sanguine indolem præclaram hæreditario velut jure ac-
 Defunctus, nam canente *Horatio Lib. IV. Oda IV:*

*Fortes creantur fortibus & bonis.
 Est in juvenis, est in equis Patrum
 Virtus: Nec imbellem proceres
 Progenerant aquilæ columbam;*

TERNA quoque LINEA splendore coruscat eximio. Nam
 Noster gavifus est Generoso Dn. JOHANNE SCHLÜTERO,
 cellentissimo, atque itidem *Sereniss. Ducis Mecklenburgo-Gustro-*
cancellario, & Consiliario intimo, Viro insignis famæ ac merito-
 ximorum, cujus gratam memoriam nulla pariter oblitera-
 Quo minus autem numerosiore hic progenitorum recen-
 tituere queamus, non eorum defectus facit, sed brevitatem
 prohibet, dispersas, cumque aliis permixtas chartas, noti-
 am impertituras, improbo investigare labore, aut
 bhinc diffidorum Cognatorum scriniis petere in-

imos b. Defuncti *Parentes*, primum nominatos, re-
 ft, quippe quibus promerita debetur laus, quod
 n, a DEO datum, extemplo per sanctissimum Bap-
 mœnum Ecclesiæ Christianæ gremium recipi pro-
 mores, non posse quem ordinaria via in regnum
 enatus fuerit ex aqua & spiritu, *Job. III. 5*; sed et-
 postmodum annis, & genuinam DEI agnitionem, &
 onem Nato suo instillare, iisque eum imbuere fate-
 , quæ usui per totum futura essent vitæ spatium.
 Defunctus elegantioribus litterarum studiis operari
 um, ad Gymnasium Gustavoviense missus, ibi sub
 im Præceptorum, utilissima ex voto jecit funda-
 modum altiores superstrui & quasi inædificari pos-
 apparatus, quare Academicis negotiis maturus fa-
 od *Helmeſtadii* floret, Musarum domicilium adiit,
 miliesimum & sexcentisimum, nonagesimo septimo, a Ma-
 Academiae Rectore, Celebratissimo Dn. HEINRI-
 in communitatem Studiosorum cooptatus, Albo-
 tus est. Hic cum per integrum triennii decursum
 o & convictu usus famigeratissimi Dn. JOHANNIS
 on personatum sed ingenuum egit jurium Culto-
 lla scientiarum juridicarum in succum vertere &
 avit & desudavit, præterea quoque Cathedram Aca-
 non intermisit, sed sub prælaudati *Werlhofii* umbo-
 num *de Jure Belli & pacis* librum disputando excute-
 vit rudentes. Auscultemus eade re ipsum *Werlho-*
te, *disputationibus publicis Grotianis*, Respondente per-
 tissimo, *Joh. Andr. Curtio, Gustavovia Mecklenburgico,*
 C haben-

